



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Restitvta V. M. 27. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

lum, & Servator generis humani offerre se conspicuum, horrorique CARPVM, si ita ei videretur, ageret miseros illos præcipites, pro quibus ipse sanguinem suum fudisset. Sibi quidem tanto pretio assertos in libertatem, certum esse non desere, & porrigere manum velle perituris: quin aded, si necesse foret, non detrectaturum redire ad initium miseriarum, quibus in Cruce moriens finem imposuisset. Plura dici necesse non fuit. Tam mellea verba CARPO bilem absterferunt: & nimirum hodie quoque animorum æstus & inconsulta odia defervescerent, si in sanguine Christi intingerentur. *Ex Dion. Areop. in Patric.*

*Par est, ut quisque nostrum non minus gratias agat Christo, quam si ob ipsum solum advenisset; neque enim recusaturus erat vel ob unum solum tantam exhibere misericordiam; aded singulos homines pari charitatis mensurâ diligit, quâ diligit orbem universum. S. Chryl. in c. 2. ad Galat.*

## S. RESTITVTA V. M. 27. Maii.

**R**OMÆ nata RESTITVTA, denata Soræ nobilissimâ morte illustravit. Nubilis domi tamen clausa egit, & formam, quâ passivi juvenis nobilis deperibat, velut ignem custodit, non jam Vestæ, sed Christi virgo. Hujus illa vni thalamum suspirabat, & aliter etiam nuptæ nomen refugebat. Interea invidit DEO sponsam suam, ut solet, orcus, adfuitque minas spirans & ignes. At RESTITVTA nuper jam boni Angeli aspectu exhilarata, risit rivalem deformem, & tam formidandum monstrum in fugam puella egit. Secundum hæc, Christo auctore, ædibus paternis excessit virgo Soram abitura, nec tamen sine co-

mite. Nam ad Lateranum Angelum invenit, qui toto itinere latus euntis stipavit, dolentis credo cum urbem aspiceret, quod iter longius non fuisset. Iam sub ingressum, cum miraculo prodita esset (morbum nescio à quo removerat) nobilem hospitem, nobile hospitium carcer martyrum excepit, ita Agathio Procos. jubente. Exin scorpionibus casa cecinit. VII. dies noctesque sine victu clausa cum Angelis vixit, oblita jam cibi, aspectu satiata. Denique capite unà cum Cyrillo Episcopo aliisque truncata, cælum subit, cum carceris custodes, & adeo carnifices miraculis captos eadem viâ nuper jam præmisisset. *Ex Ferrar.*

*Non est injustus Deus, ut obliſcatur operis boni: vivit apud eum memoria beneficij semel accepti. Beatus, apud quem Deus vel semel requiem invenit; in cujus tabernaculo vel horâ unâ requieverit.*  
Gueric. serm. 3. de Ass. B. M. V.

## S. GERMANVS PARIS. EP.

28. Maii.

GERMANO mors nondum nato, ab ipsâ, quod obomineris, matre; nato ab a viâ propinata est; nihilominus inter domestica latrocinia adolevit, veneno priore maternis visceribus, sine noxâ factus, diffuso, altero ad aviæ filium delato, æquissimo sine dubio errore, ut, cui Germani hæreditas quærebatur, idem paratam innocenti pestem biberet. GERMANVM contra Parisiensis mitra expectabat, & in omnes morbos jus, benevolentia Numinis maleficia mortalium in ejus gloriam vertente. Saliva ejus, vestium lacinia, stramen, quod in cubitu pressisset, vinum medicam habere. Hæc alexipharmaca etiam Reges ambie-

M

ban